



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomæ

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Cap. 3. An Pater, & Filius diligant se Spiritu sancto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

34. artic. 3. ad 1. Scoti, quoad hoc dicit esse eandem rationem de amore creaturarum, & de cognitione necessaria illarum in Deo. Ratione potest probari, quia sicut Pater necessario intelligit creaturas, vt possibiles comprehendendo suam essentiam, ita Pater, & Filius necessario diligunt creaturas, vt possibiles diligendo se, quia diligunt omnipotentiam suam qua sine creaturis in esse possibili esse non potest. Præterea Deus cognoscendo se, & creaturas possibiles necessario complacet in illis, ergo ex illo amore complacentia creaturarum producit Spiritus sanctus. In contrarium vero est, quia Deus nihil extra se amat necessario, quod sciret de cognitione, quia per scientiam trahitur res ad scientem, & cognoscitur, propterea in illo est, amor vero fertur ad rem amaram in se, Deus autem non fertur ex necessitate ad aliquid extra se. Item Dicitur Thomas 1. part. quæstion. 20. articulo 2. plane sentit, Deum non amare, nisi existentia, quia amor Dei dat esse, & ita infundit bonitatem in rebus, quia sine esse nulla est bonitas, vt ipsemet Dicitur Thomas docet 1. part. quæst. 6. articulo 3. Unde quæstion. 14. articulo 9. ad 3. hanc differentiam videtur constituisse inter voluntatem, & scientiam Dei quod scientia non est tantum de rebus futuris, sed etiam de possibilibus: voluntas vero, quia est proximior causa rerum, non est proprie, nisi de his quæ alimur quando futuræ sunt. Ergo sentit, circa res possibiles non dari in Deo voluntatis actum necessarium. Ratio autem est, quia amare est velle alicui bonum, Deus autem nullum bonum vult creaturis possibilibus, vt sic, ergo.

Hæc controuersia (vt in Metaphysica tetigi) est fortasse de modo loquendi, & præsertim instituto non multum refert, quia satis est dicere, Patrem, & Filium non producere Spiritum sanctum per amorem liberum, si autem aliquem habeat necessarium circa creaturas, ex illo etiam producere. Mihi vero nunc placet, constituendam esse in hoc aliquam differentiam inter scientiam, & voluntatem. Quia per scientiam reuera representantur creaturæ secundum suas proprias essentias, & naturas, quatenus concipiuntur distinctæ essentialiter ab essentia creatoris, & vt sic, terminant obiectiue ipsam scientiam simplicis intelligentiæ Dei, & ex tali scientia vt sic terminata intelligitur procedere Verbum diuinum, quod etiam necessario representat omnes creaturas possibiles, etiam vt condistinctas essentialiter à Deo, & in hoc sensu in se ipsis. Amor vero, quo Deus necessario se amat, non ita terminatur ad creaturas secundum se, sed solum vt sunt in Deo, & vt denominantur possibiles ab omnipotentia Dei, quod est in Deo. Et ideo Theologi, licet distinguant scientiam Dei de creaturis, in scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis, amorem creaturarum nunquam proportionali modo distinxerunt. Hac ergo ratione dixi, Spiritum sanctum non procedere ex amore creaturarum in se ipsis, sed tantum secundum esse, quod habent in Deo. Quid autem voluerit Dicitur Thomas in citato loco quæstionis trigesima septima, dicemus in fine sequentis capituli.

CAPVT III.

An Pater, & Filius diligant se, vel alia Spiritu sancto.

1. Opinio.

CVm dictum sit Patrem, & Filium producere Spiritum sanctum diligendo, difficultas oritur, an ipse Spiritus sanctus possit dici amor, quo Pater, & Filius diligunt, & præsertim, an sit, id, quod se diligunt, vt significari videtur per illam propositionem Pater, & Filius diligunt se, Spiritu sancto. De qua disputant Theologi communiter, Dicitur Thomas 1. p. quæstion. 7.

artic. 2. Alexand. Alenf. 1. part. quæstion. 34. memb. 2. & memb. 3. art. 3. Marfilii in 1. quæst. 14. & 35. reliqui Scholastici in 1. dist. 32. vbi præcipue Bonauen. Scot. Durand. & Capreol. Est autem fere communis ipsorum sententia, locutionem illam esse & veram, & propriam, & fundantur præcipue in auctoritate Augustini, cuius putant fuisse illam locutionem, in quo cum eis conuenit Richardus de sancto Victore, in tractatu quodam de varijs difficultatibus ad Bernardum.

Apud Augustinum autem solum reperio, quod 6. de Trin. c. 5. Spiritum sanctum vocat Vnitatem, Unitatem & sanctitatem Patris, & Filij, & amorem quo generatur, & a genente diligitur, generatoremque suum diligit. Et infra hæc ait, Non amplius, quam tria sunt, Vnus diligens eum qui de ipso est, alius diligens eum, à quo est, & ipsa dilectio. Et similia fere habet Hieron. in Psal. 17. in princ. Spiritus sanctus (inquit) nec Pater est, nec Filius, sed ipsa dilectio, quam habet Pater in Filio, & Filius in Patre. Bernard. etiam serm. 3. Pentecostes inquit, Spiritum sanctum procedere tanquam firmisimum, & indissolubile vinculum Trinitatis, Unde serm. 8. in Cantico. vocat Spiritum sanctum Oculum Patris ad Filium, & Filij ad Patrem. Denique Guidmundus in confess. de sancta Trinitate, in tom. 6. Bibliothecæ à Patre, (inquit) procedit amor ad Filium, & à Filio ad Patrem, & hic amor est Spiritus sanctus, qui ab utroque procedit. Confirmari potest hæc sententia à simili, nam Pater dicit se Verbo suo, ergo eadem ratione Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto. In explicando autem sensu illius locutionis multum variant prædicti auctores, propter difficultatem statim proponendam in sequenti opinione: & ideo illam varietatem melius postea attingemus.

Alijs ergo Theologis difficilis valde visa est illa locutio, purant enim in sensu proprio, & rigorose falsam esse, ideoque in aliquo sensu minus proprio esse interpretandam. Quod tenuit Gotfredus, vt reliqui Scholastici referunt, & ex Modernis Torres in commentarijs dicti articuli secundi, & putant priorem sententiam virtute retractatam esse ab Augustino, quando retractauit illam, Pater est sapiens sapientia genita, nam arbitrantur esse eandem virtutis rationem. Sed fortasse melius dicere potuissent illam locutionem, quantum ad Spiritum sanctum atinet, non inueniri formaliter in August. de quo infra aliquid dicam. Ratione tamen non male argumentantur ex dicto exemplo, quia Pater intelligit se Verbo suo, quia non est sapiens sapientia genita: ergo nec Pater, nec Filius diligunt se Spiritu sancto. Probatur consuetudine primo, quia sicut intelligere se habet ad intelligentem, & producentem per intellectum, ita diligere ad diligentem, & producentem per voluntatem, & sicut Verbum est terminus productionis, & non aliter comparatur ad Patrem, ita Spiritus sanctus est terminus productionis suæ, & non aliter ad Patrem, & Filium comparatur.

Secundo, quia ideo Pater non est sapiens sapientia genita, quia sapere est aliquid in Patre, & Pater nihil recipit à suo genito nec formaliter, nec essentialiter, quas habitudines significare potest ablatiuum illud. Sed hæc ratio eisdem terminis applicari potest, & cum eadem certitudine ad Spiritum sanctum, & dilectionem, ergo. Minor per se nota videtur, quia etiam diligere dicit formalem perfectionem, & intrinsecam, quam nullo modo possunt Pater, aut Filius à Spiritu sancto habere. Quod ita etiam explicatur, nam cum Pater, & Filius dicuntur se diligere Spiritu sancto, aut verbum diligere sumitur notionaliter, pro ipsa origine, ita vt sit idem, quod spirare, & sic inepte, & falso constituitur cum illo relatiuo, se, quia sic diligere notionaliter est producere, Pater autem, & Filius non producit se, unde non possunt dici spirare se. Improprie similiter etiam dicentur.

dicatur Pater, aut Filius spirare Spiritu sancto, sed Spiritum sanctum, ergo nec dici potest notionaliter diligere Spiritu sancto, si hæc sunt idem. Quod si diligere notionale non dicat actuale originem, sed principium quo: sic etiam includit aliquo modo respectum ad terminum, unde reflecti non potest supra principium productionis cum additione ipsius termini. Quia, quod illa dilectio notionalis formaliter non habet à termino, sed à proprijs relationibus Patris, & Filij. Quod autem sit dilectio, habet ex eo, quod est ipsamet dilectio essentialis. Ac si diligere sumitur essentialiter, manifestum est falsam esse locutionem (in quo omnes conveniunt) quia Spiritus sanctus nec producit per dilectionem essentialem ut sic, neque est forma constituens Patrem, aut Filium diligentem. Denique in hoc sensu manifeste æquiparatur hæc locutio cum illa alia, *Pater est sapiens sapientia genita.*

Mhi in hac re duo breviter dicenda occurrunt. Primum est, locutionem illam in ea verborum forma, neque in Scriptura reperiri, neque in Sanctis Patribus adeo clare, ut propter illam in omni proprietate defendendam multum contendendum esse videatur. Prior pars de scriptura certa est apud omnes, nullum enim affert testimonium ad eam probandam. Ut altera pars declaratur, aduertitur, has locutiones esse in rigore diversas, *Pater, & Filius diligunt se amore, qui est Spiritus sanctus, vel diligunt se Spiritu sancto.* Nam in hac posteriori Spiritus sanctus significatur, ut forma constituens Patrem, & Filium diligentes, & in hoc consistit eius difficultas, quia non videtur posse hoc habere verum sensum. In priori vero solum denotatur identitas inter Spiritum sanctum, & dilectionem, quæ constituit Patrem, & Filium formaliter diligentes, ut manifeste indicat dictio illa, *Qui est, & ad summum etiam indicatur, Spiritum sanctum ex vi processionsis suæ formaliter habere illam identitatem, utrumque autem verum est, & facile ut supra in simili dictum est de sapientia genita.* Augustinus autem, & Hieronymus, & alij, si attendere considerentur, magis priorem locutionem, quam posteriorem indicant, solum enim dicunt *Spiritus sanctum esse dilectionem, quia Pater diligit Filium, & Filius Patrem.* Quod non solum est verum per appropriationem, ut Durandus putavit, sed etiam per quandam proprietatem, quatenus significat Spiritum sanctum esse illam dilectionem, ex vi suæ processionsis, sicut etiam de Sapientia cum proportionem loquimur. Atque in hunc sensum videtur reducere illam locutionem, *Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto, Alexander Ales. supra, id est, diligunt se dilectione, quæ est Spiritus sanctus, vel quod perinde est, diligendo se, producant Spiritum sanctum, & suam dilectionem illi communicant.*

Secundo assero, posse illam locutionem formaliter sumptam in sensu magis proprio defendi. Ommissis autem varijs sensibus, quos D. Thom. supra refert, & facile refutari possunt, duo videntur habere maius pondus. Prior est Richard. de sancto Victore loco citato, qui his verbis sensum declarat. *Dicitur Pater Spiritu sancto diligere, non quod per eum amorem habeat, sed quod exhibeat, non quod per eum amorem accipiat, sed impendat.* Unde significat illud verbum *diligere* æquivoce esse, nam vno modo significat esse formaliter diligentem, & ita non verificatur illa propositio, alio modo significat producere alium diligentem: & hoc modo dicit, esse veram propositionem. Et comparat illam cum hac, *Pater dicit Verbo, quæ est vera, licet illa sit falsa intelligit Verbo, quia intelligere non admittit, nisi priorem, significationem.* Unde etiam infert, Patrem diligere se ipso, sumpto verbo, *diligere* in priori significatione, & diligere Spiritu sancto in alia significatione iam dicta. Quam ita etiam interpretatur, *diligit se per Spiritum sanctum, quem producit dilectorem, & dilectionem sui.* Unde etiam concedi

debet in hoc sensu: *Pater spirat Filio, id est, per Filium, quia illum producit cum virtute spirandi.* Quare licet hic sensus sit pius, & probabilis, nescio, an fuerit intentus ab Augustino, & alijs, quia illa duplex significatio illius verbi non videtur ita vitata.

Alter sensus est, quem D. Thomas late declarat in illo art. 2. & Capreolus, Caietanus, & alij exponunt, ac defendunt ab impugnationibus Scoti, & D. Thomæ aliorum. Summa est, *diligere* in ea locutione, sumi pro actu notionali producendi amorem. Nomen autem significans actionem, inquit D. Thomas, cum ordine ad definitum terminum solet denominare agens, seu tribui agenti, non solum cum reflexione actionis per modum forme, sed etiam cum replicatione termini. Nam priori modo dicimus, ignem calefacere calefactione, posteriori autem modo dicimus, arborem florere floribus. Atque hoc posteriori modo, inquit D. Thomas, *Pater, & Filius diligunt Spiritu sancto tanquam termino dilectionis productivæ, sicut Pater dicit Verbo tanquam termino dilectionis.* In intellectu enim habemus voces distinctas, in voluntate autem eandem accommodamus ad notionalem, & essentialem actum significandum.

Propter argumentum autem factum in secunda opinione constituit D. Thomas differentiam inter Verbum *spirandi, & diligendi, quod Verbum spirare* habet valde generalem significationem, sicut Verbum *producere, vel generare, & non includit in suo conceptu definitum terminum: & ideo non tribuitur spiranti cum denominatione ab ipso termino, quod fecus est in Verbo diligendi.* Clarius vero dici posset, Verbum *spirandi* esse ex his, quæ tantum significant simplicem habitudinem ad terminum, quæ non construuntur cum illo, nisi in accusandi casu, per quem significatur terminus ut sic, sicut *spirat Spiritum sanctum.* *Diligere* vero non solum dicit habitudinem ad terminum, sed etiam ad obiectum, seu materiam circa quam, & ideo potest reflecti supra ipsum principium, si sub obiecto dilectionis contineatur, & dicitur, *Patrem diligere se, & potest constitui cum suo termino in casu ablativo, seu effectivo, quod indicat denominationem formalem.* Ita ergo dicuntur *Pater, & Filius diligere se Spiritu sancto, sicut etiam posset arbor dici florere se (si Verbum illud active sumatur) floribus, quia se veluti adornat floribus.*

Semper tamen difficile potest exponi, qualis sit hæc denominatio: quam *Pater, & Filius accipiunt à Spiritu sancto, ut à termino productionis, ut ratione illius possit talis locutio in rigore verificari.* Quotiescumque enim terminus actionis constituitur illo modo cum Verbo significante productionem, significatur, ut forma eius cui accommodatur, & ideo oportet, ut det illi denominationem formalem, vel intrinsecam, & propriam: ut in hac, *Ignis calefacit lignum calore productivo, vel per adiacentiam aliquam, quo modo est vera illa locutio, Arbor floret sui floribus, quia flores manent in arbore, & ornant illam, vel per extrinsecam denominationem, seu representationem, quo modo vera est illa locutio, Pater dicit se vel alia Verbo.* Hic autem nec denominatio potest esse intrinseca, & formalis, ut constat, neque extrinseca apparet, quia Spiritus sanctus nec representat, neque adiacet, seu ornat, ut ita dicam, Patrem, & Filium producentes ipsum.

Ad hoc tamen breviter dicendum occurrit, denominationem hanc esse posse unionis cuiusdam effectivæ: nam ea, quæ se diligunt, ununtur affectu: & ideo recte dici possunt uniri, & dilectione ipsa, tanquam ipsa unionem, & termino productivo, tanquam eo, in quo ununtur. Contingit enim aliqua uniri in tertio, seu in termino aliquo, & tunc non tantum denominantur ab ipsa unionem, seu actione, quia ununtur, sed etiam à termino, quomodo lineæ dicuntur uniri puncto, seu centro: & duæ naturæ in Christo dicuntur uniri vna substantia: sic ergo

Pater, & Filius dicuntur vni Spiritu sancto, non informatiue, sed terminatiue. Quo sensu vocant Patres Spiritum nexum, & vnitatem Patris & Filij, & quia illa vnio affectiua est, recte per Verbum *diligendi* significatur: sic, ergo dicuntur se diligere Spiritu sancto, vbi Verbum *diligendi* notionaliter sumitur, significat autem productionem termini cum vnione quadam producentium in ipso.

11. Vnde intelligitur ipsum Spiritum sanctum non posse in hac significatione dici diligere alias personas se ipso, quia neque alias personas neque se producit, neque habet dilectionem notionalem. Sumpto autem Verbo *diligendi* essentialiter, recte dicitur diligere se ipso, vt Diuus Thomas dixit in 2. distinct. 31. quæstio. 1. articulo 2 ad vltimum, & Marfilij, & alij adnotarunt: quia diligit suo amore, qui est ipsemet Spiritus sanctus, & quia licet respectu sui non sit terminus productus, est tamen obiectum eiusdem dilectionis, per quam à Patre, & Filio producit, & ita est nexus, & vnio non tantum Patris, & Filij, inter se, sed etiam cum ipso.

12. Vltimo intelligitur facile ex dictis, an possit Pater, An Pater & Filius recte dici diligere creaturas Spiritu sancto. Scotus enim, dicta distinctione 31. hanc locutionem non putat admittebam: quia Spiritus sanctus non producit ex dilectione creaturarum, vnde per se non videtur esse nexus amoris, seu vnionis affectiue Dei ad creaturas, Diuus Thomas autem dicta quæstione 37. articulo 2. ad 3. concedit, Patrem, & Filium diligere nos Spiritu sancto, sicut Pater dicit creaturas Verbo, quamuis ex illarum cognitione non procedat. Loquitur autem clare Diuus Thomas de creaturis futuris, & non tantum de possibiliibus, & putat, tam Verbum, quam Spiritum sanctum dicere relationem rationis ad creaturam. Quod intelligo de respectu non tam actuali, quam aptitudinali (vt ita loquar.) Quia Verbum necessario procedit aptum ad representandas creaturas etiam existentes, & ideo licet absoluta necessitate non representet illas futuras, tamen ex suppositione, quod futura sunt, necessario representat illas, quod satis est, vt ipso verbo dicantur. Sic etiam Spiritus sanctus necessario includit proportionalem relationem, nam licet absoluta necessitate non oporteat creaturas, diligi, seu (quod idem est,) Patrem & Filium illis affectiue vniri, cum producant Spiritum sanctum, si tamen creatura diligenda sunt à Deo, illo eodem amore diligenda sunt quo Spiritus sanctus producit. Et hoc satis esse voluit Diuus Thomas vt illæ creaturæ, quæ de facto diliguntur, dicantur diligi Spiritu sancto. In hoc ergo sensu potest illa locutio probabiliter defendi, fateor tamen, non esse ita propriam, sicut præcedentem, nec facile vsurpandam sine sufficienti declaratione.

CAPVT IV.

Verum Spiritus sanctus ex vi sue processionis proprie, ac personaliter habeat esse donum.

7. DE hac re multa scribunt D. Thom. & eius interpretes. parte, quæstione 38. & Scholastici in 1. distinctione 18. præsertim Bonauentura, Scotus, Durandus, Gabriel, & Capreolus, Marfilij in quæstione 21. Inter quos Durandus præcipue negat, hoc nomen *Donum* esse proprium Spiritus sancti, sed appropriatum. Ille vero semper procedit ex illo falso errore, quod hæc processionis personarum non sunt proprie per intellectum, & voluntatem, nam inde consequenter negat quicquid proprie tribuitur vnique personæ procedenti ratione suæ processionis, vt est intellectus, vel voluntatis, inter quæ numeratur hoc nomen *Donum*.

Reliqui ergo Theologi conueniunt, Spiritum sanctum ex vi suæ originis procedere vt *Donum*: atque ita hanc appellationem in aliquo sensu esse illi propriam, & personalem. Sumperunt autem hoc ex Augustino, qui sæpe dicit, nomen *Doni* importare relationem, & originem Spiritus sancti, & eo esse *Donum*, quo Spiritus, & à Filio distingui, quod *Filius procedit*, vt natus, Spiritus vt datus, id est, *habilis*, seu *donabilis*, vt infra dicam. Sumuntur vero hæc locutiones ex libro 4. de Trinit. cap. 20. & libr. 5. cap. 11. vsque ad 15. & libr. 15. cap. 19. & habent fundamentum in illo Act. 2. *Accipitis Donum Spiritus sancti*, & cap. 8. *Pecunia tua tecum sit perditione, quia Donum Dei existimasti pecunia possideri*. In modo autem explicandi hanc denominationem, variam inter se dicti Theologi, sed mihi non videtur res digna, vt in ea permultum operæ collocetur, quam ideo breuiter exponam.

Aduertendum est ergo ex Diuo Thoma, & Caietano, in nomine *Doni* tria includi, scilicet, rem, quæ donum denominatur, relationem ad eum, à quo donatur, vel donari potest, & relationem ad eum, cui donari potest. Donatio autem ipsa, vt Aristoteles dixit 4. Topicor. capite 4. est gratuita, & liberalis, seu vt ipse loquitur, est *datio irredibilis*: illud enim proprie donatur, quod liberaliter tribuitur, & non propter recompensationem. Deinde est aduertendum, hæc omnia posse in *Donum* conuenire. Nam in primis ipse maxime donare potest, imo vt dixit Diuus Thomas ipse solus est proprie, & perfecte liberalis, quia non propter suum, sed propter aliorum commodum donat. Maxime vero exercet donationem liberam & gratuitam circa creaturam rationalem, vt dicit Augustinus 4. contra Iulianum capite tertio, quæ creatura irrationalis non est proprie capax gratiæ, aut liberalitatis, sicut etiam non est capax recompensationis, aut gratitudinis. Est item Deus aptus donari, ita enim Scriptura loquitur, quod Deus dicit se ipsum nobis, *Ad eum venimus, & mansionem apud eum faciemus*, Ioannis decimo quarto, capite tertio *si Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, & cap. 4. si sciveris donum Dei, & quis est qui loquitur tecum, Ad Romanos quinto, sed non sicut dilectum, scilicet, & donum. Ratio vero est, quia in hac appellatione nulla includitur imperfectio, non enim dicitur Deus alicui donari, quia sub dominio eius constituitur, vel imperfecto modo possideatur, sed vt in eo sit nouo, & speciali modo, & præcipue vt spiritali vinculo teneatur. Sic dicitur Deus donari homini iusto, quia in eo incipit esse speciali modo tanquam in templo, & amicosuo, vt obiectum intimæ cognitionis, & amoris. Et ita etiam huiusmodi donatio nullam in Deo dicit mutationem, sed denominationem à mutatione, quæ in creatura fit. Vnde præterea intelligitur, respectu Dei dari aliquid, seu aliquem, cui ipse donari potest, scilicet, creaturam rationalem, quæ est capax donationis gratuitæ, vt dixi, & est etiam capax Dei omnibus modis explicatis.*

Ex his ergo recte concluditur hoc nomen *Donum* proprie, & sine metaphora Deo conuenire. Conuenit enim non ex tempore, sed ex eternitate. Non quia intra Deum ipsum donetur, vt sensisse videtur Scotus, & Gabriel supra, dicentes, Patrem donare Filio Spiritum sanctum, & e conuerso. Quibus fauet Hilarius libro octauo de Trinitate circa medium, Dum ait, *Essentiam Diuinam esse Donum, quod Pater dat Filio*, quod non rejicit D. Thom. dicta quæstione 38. articulo 2. ad 1. Nihilominus tamen illa non videtur propria significatio, quia vt ex Aristotele dixi, & ex communi etiam modo loquendi, donatio dicit liberam largitionem, non naturalem, & necessariam communicationem: at vero intra Deum omnis communicatio naturalis, & necessaria est. Nec Pater dat Filio naturam ex amore, quod ad rationem domini proprie sumpti necessarium est, licet communitur illam cum amore, seu voluntate concomitante, vt supra explicat.